

directo, ut credamus *N.* de præcepto reflexo *C.* Similiter etiam *prob. 2^æ.* *Cons. D.* Evidens est Deum non posse directe præcipere, ut falsum credamus *C.* non posse præcipere reflexe *N.*

ARTICULUS IV.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT EVIDENTER CREDENDI?

102. *Nota I.* Credendum illud est, quod quis non tantum prudenter potest sed etiam tenetur credere. Sumitur vel negative vel positive; *negative* credendum est, quod quis negare non potest, vel quod cuiquam non permittitur liberum, ut credat vel non credat, assentiatur vel dissentiat: *positive* credendum est, circa quod quis tenetur elicere assensum fidei. Porro fides elicenda potest esse vel explicita vel implicita; *explicita* est, qua quis aliquem articulum credit in particulari, eo quod in particulari sciat esse articulum revelatum; et sic credimus mysterium *Trinitatis*, *Incarnationis* etc.: *implicita* dicitur, qua quis aliquem articulum solum credit in communi, credendo scilicet quidquid Deus revelavit et Ecclesia credit, licet in particulari non sciat aliquid mysterium esse a Deo revelatum; et sic etiam simplex rusticus credit singula mysteria, licet aliqua in particulari ignoret. Fides *explicita* subdividitur in necessariam necessitate medii vel præcepti: *necessaria necessitate medii* est, quæ ex natura ipsius rei necessaria est ad justificationem et salutem; seu quæ de aliquo explicite credendo ita requiritur, ut qui illud etiam invincibiliter ignorat, salutem non consequatur: *necessaria necessitate præcepti* est, quæ solum ex præcepto Dei positivo requiritur ad salutem, seu quæ de aliquo explicite credendo positive quidem præcepta est, ita tamen, ut qui illud invincibiliter ignorat, non hoc ipso impediatur a consequenda salute. Jam vero convenit quidem inter *Catholicos*, paucos articulos necessario esse explicite credendos necessitate medii, imo ne quidem omnes credendos explicite necessitate præcepti, sed sufficere *fidem implicitam* circa plures veritates a Deo revelatas; atque hoc sensu concedunt alios articulos dici posse *fundamentales*, nempe illos qui sunt necessario credendi necessitate medii; alios autem dici posse *non fundamentales*, qui nempe non sunt hac ratione necessario credendi: verum et unanimiter negant ullam veritatem a Deo revelatam dari; quæ non sit credenda negative, h. e., quam quis negare libere possit, aut affirmare vel inficiari cuiquam liberum sit.

103. *Nota II.* Diversus ab hac sententia error est non tantum *Libertinorum* seu *Indifferentistarum* quasi *paganorum*, qui quemlibet docent in sua secta salvari posse, modo unum Deum agnoscat eumque juxta sectæ suæ leges seu propriam rationem colat; sed etiam *Adiaphoristarum*, *Syncretistarum* aut *Indifferentistarum Christianorum*, qui pro diversitate suarum classium vel articulos de Deo tantum et Christo confuse cognito, vel mysteria etiam præcipua Christi et SS. Trinitatis, vel symboli Apostolici aut etiam Athanasiani articulos vocant *fundamentales*, substantiales, essentielles, et ad salutem consequendam necesarios; reliquos vero omnes vocant *accidentales*, arbitrarios, adiaphoros et non *fundamentales*, seu tales, quos credere

vel non credere quis possit pro libitu et citra periculum salutis. Horum errores refutandi sunt.

104. *Dico I.* Articuli nostræ fidei evidenter credendi sunt assensu firmissimo, seu explicito seu implicito.

Prob. Quoties est moraliter certum Deum aliquid revelasse, hoc *credendum* est assensu firmissimo: sed ex signis credibilitatis moraliter certum est Deum revelasse articulos fidei nostræ; ergo credendi sunt assensu firmissimo etc. *Maj.* est evidens ex terminis, sicut evidens est, obediendum esse superiori, quando moraliter certum est illum aliquid præcipere; Deus enim dum aliquid revelat, sicut etiam homo dum loquitur, exercite exigit nostram fidem: certum item est ex terminis irrogari injuriam illi, cui non creditur, si moraliter certum sit eum fuisse locutum.

105. *Dico II.* Distinctio articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, ex sensu *Indifferentistarum* facta, nullatenus est admittenda.

Prob. I. Omnes articuli a Deo revelati sunt æqualiter veri ac certi; quia nituntur eadem auctoritate divina infallibili; ergo vel omnes vel nullum negare possumus, aut *negative credere* tenemur: quia qui negat articulum non fundamentalem, æque spernit Dei auctoritatem ac negans fundamentalem.

Conf. Quivis vere Christianus debet habere hunc actum: *Credo omnia, quæ Deus revelavit*; quia dum credit unum articulum fundamentalem, quia est revelatus, si revelatio divina vera sit causa cur hunc credat, hoc ipso implicite credere debet et alia revelata; alias locum habet illud S. AUGUSTINI L. 17. cont. Faust. c. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.* Ergo nullum articulum, a Deo in Scriptura vel alibi revelatum excludere, potest a sua fide aut negare; quia alias sibi contradiceret, affirmata scilicet universali et negata particulari propositione.

Prob. II. Distinctio articulorum in fundamentales et non fundamentales eorumque determinatio nec potest ostendi ex *Scriptura*, utpote quæ nullam hujus rei mentionem facit: nec accepta est ab *Ecclesia*; quia si hæc orthodoxa sumatur, contradicit aperte: si autem confingatur ex omnibus sectis; jam hos jam illos et quidem contradictorie oppositos designat: neque repeti debet a *spiritu privato*, quia hic insanus est omnium errorum magister et auctor dissensionum.

Conf. Quicumque statuuntur ab *Indifferentistis* articuli fundamentales, sunt ejusmodi, præter quos Ecclesia Catholica alios adhuc credendos proponit; sicut in prioribus seculis contra Arianos, Nestorianos, Eutychianos etc. proposuit. Ergo et alii non fundamentales habiti credendi sunt juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.*

106. *Dico III.* Ad salutem non sufficit, ut quis credat articulos fundamentales, si interim aliorum satis propositorum unum non credat, sed neget vel discredat.

Prob. I. Ad salutem non sufficit, ut quis servet plura præcepta, si vel

unum violet, juxta illud Jac. 2. 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; qui enim dixit: non mæcha-beris, dixit et non occides.* Ergo nec ad salutem sufficit hos vel illos articulos credere, si quis alios a Deo revelatos et satis propositos non credat; quia sicut ibi contemnitur *Legislator*, sic hic etiam, præter contemptum Ecclesiae illatum, spernitur *fidei Auctor*; neque fides in hoc casu perfecta est ac integra, sicut nec in illo justitia seu obedientia; unde Aug. de Donatistis in Ps. 54. n. 19. sic inquit: *In multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum.*

Conf. 1. Nullus hæreticus potest salvari in sua hæresi juxta illud ad Tit. c. 3. 10. *Hæreticum hominem... devita, sciens, quia subversus est, et delinquit.* Et S. Aug. de Bapt. cont. Donatist. L. 7. c. 54. *Habent, inquit, ac tradunt et hæretici (baptismum)... quod quia recedendo non amiserunt, et tradere manendo potuerunt: sed... infructuose ac inutiliter, et c. 39. Hoc quidem verum est, quod Baptisma salutare non nisi in Ecclesia Catholica est. Potest enim esse et extra Catholicam; sed salutare non est ibi, quia non ibi operatur salutem.* Sed qui dissentit eicumque veritati a Deo revelatae est hæreticus; ergo.

Conf. 2. Si sufficeret ad fidem ac salutem credere articulos, quos vocant fundamentales; ergo Apostolus male scripsisset ad Galat. 5. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit:* et Concilia Patresque, a primordiis Ecclesiae usque ad hæc tempora, male dixissent anathema *hæreticis*, quorum plurimi articulos fundamentales, h. e. symboli Apostolici credebant; cum etiam ex S. Hilar. L. 2. n. 9. ad Constant. liqueat, *Neminem hæreticorum esse, qui se non secundum Scripturam prædicare ea, quibus blasphematur, mentiatur.* Sed neutrum videtur prudenter admittendum; ergo.

Prob. II. Fides ad salutem sufficiens et necessaria debet esse una, ut patet ex Apost. ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma;* unde vera et salvifica fides etiam Dan. 2. 44. vocatur *unum regnum*, Matth. 24. 45. *una domus*, Joan. 10. 16. *unum ovile* etc. Sed apud *Indifferentistas*, etiam symbolum Apostolicum credentes, non est una fides seu unitas in fide; ergo non potest esse fides ad salutem sufficiens et necessaria. *Min. prob. 1º.* Quia horum, utpote variis sectis addictorum vel ab omnibus sectis in Ecclesia Catholica se distinguunt, variae sunt in aliis articulis discrepantiae ac contradictiones: 2º. quia nec in ipsa symboli explicatione ac intelligentia est unitas, atque hinc nec una fides articulorum fundamentalium; ut patet ex articulis de Christi pro omnibus morte, de descensu ejusdem ad inferos, de Ecclesia, de remissione peccatorum etc. 3º. quia apud hos negari posset ac e medio tolli tota Scriptura, supremum Ecclesiae Caput, aliaque adminicula ad fidei unitatem facientia.

107. *Obj.* Sacra Scriptura tribuit salutem credentibus articulos fundamentales, ut patet 1º. ex Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* 2º. Ex Joan. 3. *Ut omnibus, qui credit in ipsum (Christum) non pereat, sed habeat vitam æternam.* Item: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* 3º. Ex Marc. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* ergo. *Conf.* Latro in cruce solum Christum credidit, et tamen Luc. 23. *audire meruit: Hodie mecum eris in Paradiso.*

Item Philippus Act. 8. Eunuchum Candacis baptizavit, quin verosimile sit illum tam modico tempore aliquid præter Christum fuisse doctum; ergo.

R. D. A. Scriptura tribuit negative salutem credentibus articulos fundamentales, seu hoc sensu, quod sine hac fide seu implicita seu explicita non obtineatur salus *C.* positive seu hoc sensu, quod obtineatur salus cum hac fide *subd.* Suppositis et adjunctis etiam cæteris, quæ aut credenda aut facienda sunt *C.* sine illis *N.* Sicut per alia Scripturæ testimonia, ubi virtuti cuidam aut operi promittitur vita æterna, non excluditur necessitas etiam aliorum ad beatitudinem consequendam requisitorum: sic idem est tenendum de testimoniis fidei beatitudinem promittentibus; maxime cum alias contra communiorem indifferentistarum opinionem articuli fundamentales ad duos tantum restringerentur.

Ad Conf. R. D. A. Latro et Eunuchus solum crediderunt explicitè in Christum, et quoad animi præparationem saltem implicitè etiam credebant aut jam proposita aut proponenda sufficienter ad credendum *C.* Solum crediderunt in Christum, ita ut alia sufficienter proposita negarent, ut faciunt sectarii, aut non haberent per animi præparationem fidem implicitam *N.* Hinc etiam simpliciter *N. Cons.* ob manifestum inter illos et sectarios discrimen.

Inst. 1. Nec in Judaica nec in Christiana Ecclesia impediabant quædam dissensiones fidei unitatem et Ecclesiae fundamentalem; ut patet de *Judaica*, quæ conflata fuit præsertim sub finem ex Pharisæis, Sadducæis et Essenis, quibus unum erat templum et unus expectabatur Messias: de *Christiana* vero, vel sub ipsa primordia, patet ex dissensione Act. 15. inter Apostolos de observatione circumcissionis et legalium: *item*, inter Paulum et Barnabam de Marco recipiendo; ex dissensione inter fideles, qui Actor. 11. disceptarunt contra Petrum, quod cum non circumcisis conversaretur et manducaret: *item* ex dissensione Corinthiorum, quorum schisma recensetur 1. Cor. 1. et 3.

R. D. Ass. Dissensiones in quibusdam factis moralibus vel etiam in rebus fidei nondum definitis non impediabant unitatem fidei et Ecclesiae *C.* in rebus fidei jam definitis *N.* Patet distinctio ex ipsis exemplis allatis. Nam 1º. Dissensio circa legalium observationem res erat necdum definita, neque lex, ut mortua, statim ab initio Ecclesiae Christianæ erat mortifera. 2º. Pauli et Barnabæ ad diversa discessus agebatur de Marco in socium Evangelicæ prædicationis assumendo, et hinc penitus fidem non tangebatur. 3º. Fidelium dissensio a Petro, scandalum erat ex infirmitate eorum ortum nescientium adhuc, per Evangelium sublatas fuisse leges judaicas de communione cum gentilibus vitanda. 4º. Schisma Corinthiorum de præstantia duntaxat eorum fuit, qui ipsis Evangelium annuntiaverant, dum alii dicerent: *Ego sum Pauli*; alii: *Ego Apollo*; alii: *Ego Cephæ*; aut si fuerat etiam circa res fidei, Corinthii tamen non erant pertinaces ad morem Sectariorum, sed docibiles et veritatis intelligendæ cupidi, nunquamque ad separationem prosilierant.

Porro quidquid sit de Judæorum diversis sectis, fuerintne *Pharisæi*, *Sadducæi*, et *Esseni* omnes hæretici, de quo eruditorum diversa est sententia; id certum est a Judaica Ecclesia ad Christianam argumentum et comparisonem institui nec posse nec debere. Quamvis enim Sadducæi, spirituum ac resurrectionis negatores, in Judæorum communione tolerabantur, Paulus tamen

et ab Ecclesiæ communionem rejectit et fidem perdidisse declaravit illos, qui aliquid diversum ab Ecclesia de resurrectione senserant; sic enim scribit 1. ad Timoth. 1. 19. et 20. *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymeneus et Alexander, quos tradidi Satanae.* Et 2. ad Tim. 2. 17. *Ex quibus est Hymeneus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorundam fidem.*

Inst. 2. Qui credit ea quæ sunt necessaria necessitate medii et præcepti, potest salvari: sed qui credit *symbolum Apostolorum*, hæc omnia credit; quia ut dictum supra est ex S. Aug. aliove Auctore sermonis 113. de temp. *symbolum hoc est regula fidei brevis et grandis*; ergo. Atqui non Catholici duntaxat, sed et Sectarii plerique credunt *symbolum*; ergo. *Conf. 1.* Quæ Christus reliquit creditu libera, non debent obtrudi tanquam dogmata fidei necessaria: sed pleraque dogmata, quæ in *symbolo* non continentur, et inter Catholicos ac Sectarios controversa sunt, Christus reliquit creditu libera; utpote quæ nec in Scriptura sunt clare expressa, nec in primis sæculis credita; ergo. *Conf. 2.* Plura sunt dogmata, de quibus antea dubitare licuit, et de facto quædam sunt, de quibus in Scholis Catholicis controversatur: quin ipsi Catholici passim distinguunt articulos in necessarios et non necessarios, seu ut S. BONAV. L. 3. sent. dist. 23. *in antecedentes*, uti Scripturam et Dei quædam attributa, *constituentes*, nempe articulos symboli, et *consequentes*, hoc est, ex illis prioribus deductos: neque tamen determinare possunt, quinam articuli sint necessarii necessitate medii, et quinam tantum necessarii necessitate præcepti; ergo.

R. D. M. Qui, quæ credenda sunt necessario, credit quomodocumque, potest salvari N. qui credit eo modo, quo credi oportet C. Negatur autem Sectarios etiam articulos symboli modo, *quo oportet*, credere; tum quia eos non credunt in genuino sensu ac vero; tum quia potius ex motivo humano, quam propter Dei auctoritatem credunt, cum alias deberent omnia a Deo revelata etiam credere; ex quo similiter constat ad veram fidem requiri ne alia revelata expresse negentur aut discrepentur, aut ne teneantur articuli alii erronei, in quo utroque tamen fides Sectariorum delinquit.

Ad Conf. 1^{am}. R. 1^o. N. *Supp. M.* quod Christus, modo a Sectariis intento, possit aliquid revelatum relinquere nobis creditu liberum; nam Deus, quæ revelat, ad ea nos obligat vel explicitè vel implicitè credenda, ut prob. n. 104.

R. 2^o. T. M. N. m. Quia quæ controversa sunt inter Nos et Sectarios fidei dogmata, et ex Scriptura, et ex Traditione, primorumque seculorum fide ostenduntur pro nostra parte, ut per decursum Theologiæ probatur.

Ad Conf. 2^{am}. R. quoad 1^{am}. et 2^{am}. D. Licuit et licet de facto dubitare de quibusdam, antequam et dum necdum definita erant aut sunt, atque hinc necdum quoad nos credenda C. postquam fuerunt definita, et si etiam quoad nos sint credenda post declarationem Ecclesiæ N. Hoc ipsum admittendum est ab Adversariis communiter auctoritatem quatuor primorum Conciliorum Oecumenicorum venerantibus: ante quæ licebat sine fidei detrimento de quibusdam nondum explicitè declaratis dubitare, non quasi reipsa credenda non fuerint, aut implicitè non crederentur; sed quia aperte nondum omnibus tanquam explicitè credenda innotuerant. *Quoad 3^{am}.* Constat imprimis ex num. 102. non hoc sensu negari a Catholicis articulos quosdam

necessarios, ac si liberum foret eos negare aut discredere; sed quatenus eorum explicita confessio ac notitia non sit præcepta aut ad salutem obtinendam requiratur. Porro eandem mentem fuisse S. BONAVENTURÆ liquet ex ipsius ibidem doctrina, qua declarat illa dogmata, quæ *antecedentia* et *consequentia* vocat, esse creditu necessaria non quidem ut articulos principales, sed ut radicatos in symbolo Apostolico. Demum quamvis nec inter Catholicos determinatum sit, quænam sit necessitate medii necessaria fides explicita, certum tamen inter eos ac determinatum est, tum quod aliorum articulorum fides explicita sit necessaria ex seipsa ad salutem, aliorum autem positive præcepta, tum quod fides implicita requiratur eorum quæ a Deo revelata sunt.

Inst. 3. Inter res revelatas multa sunt, quæ parvi aut nihili referunt an credantur; ergo in his licebit cuilibet salva fide et salute pro lubitu sentire. *Conf. 1.* Catholici, non obstante ignorantia vel errore circa multos fidei articulos, possunt salvari; ergo idem contingere potest Sectariis. *Conf. 2.* Sunt admodum pauci qui adhærent Ecclesiæ Romanæ; quia si totus terrarum orbis dividatur in viginti quatuor partes, vix quinque sunt Christianæ: ex quibus si demantur heterodoxi, pauci restabunt Catholici. Sed incredibile est quod tam pauci, attendendo præcise fidem, salventur; cum Deus serio velit omnes homines salvos fieri; ergo, præter Catholicos et cum sola saltem fide fundamentalium articulorum, etiam aliis salus concedi debet.

R. N. vel D. A. Multæ sunt veritates quæ parvi referunt an credantur, spectando præcise notitiam earum C. spectando obedientiam, quam Deo loquenti debemus, et auctoritatem Dei, quam discredendo spernimus N. Certe non parvi aut nihili refert, quod Deus verum aut falsum sit locutus, aut ejus auctoritati injuria et contra obligationem inobedientia exhibeatur; quæ tamen evenirent, si nobis sumeremus assentire vel dissentire revelatis.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. *Cons. Disparitas* est, quia Catholici in hoc casu credunt saltem generatim quicquid Ecclesia credit et credendum proponit, et, ex supposito, semper parati sunt errores deponere, ubi eis Ecclesiæ doctrina proponetur; unde, vi hujus dispositionis animi, habent fidem quamdam implicitam eorum dogmatum, quæ ignorant. Nihil ejusmodi suffragatur Sectariis, si sua principia sequantur, nec statuuntur duntaxat hæretici materiales, et errare ex ignorantia invincibili.

Ad Conf. 2^{am}. T. M. Quia calculationem illam non admodum exactam ostendunt plures, qui Catholicos non in Europa duntaxat degere norunt, sed eorum per alias orbis partes maximas Ecclesias ex ordine recensent. N. min. Cum paucitas salvandorum potius Scripturæ plurimum sit conformis, quam ut imprudenter credibilis asseratur. *Ad prob.* R. Dei quidem salvandi omnes voluntatem esse seriam, non tamen absolutam sed conditionatam, nempe si et ipsi homines salvari velint, eaque præsentent quæ requiruntur.

QUERES: An Articuli Fidei successu temporis creverint?

108. *Nota.* Dividuntur fidei articuli in principales et minus principales. *Principales* sive ob dignitatem sive ob necessitatem primo credendi, duo communiter referuntur *generales*, nempe de Dei existentia ac de ejus circa salutem hominum providentia, et duo *particulares*, scilicet de Dei in Per-